

176

358, 2



DECURIA
QUÆSTIONUM POLITICARUM
EX MATERIA
DE BELLO EX-
CERPTARUM,

Quam
SS. Prosperante Triade
IN CELEBERRIMA ET FLO-
RENTISSIMA ACADEMIA SALANA,
PRÆSIDENTE

Viro Clarissimo & Excellentissimo
DN. M. THOMA SAGITTARIO
P. L. C. & Professore Publico, Præce-
ptore suo summè honorando

Publicè
Exercitii gratia propugnabit
GABRIEL PAULI WISMARIENSIS
MEGAPOLITANUS

Ad diem *Januarij in Auditorio*
Majori.

J E N Æ
Typis HENRICI Rauchmauls/
ANNO

M. DC. XIV.



AMPLISSIMO, CONSULTIS-
SIMO ET PRUDENTISSIMO

Viro

DN. HENRICO Stalmeistern J. U. D.
celeberrimo, & inclutæ Reip. Rosto-
chiensis Consuli seniori me-
ritissimo.

ET

CLARISSIMO AC PRÆSTANTISSIMO

Viro

DN. BERNHARDO Klingen J. U. Candidato
dignissimo.

Dnn. Affini, Cognato, Fautoribus ac Promotoribus
meis summè honorandis

Publicum hoc Exercitium

Qua debeo ac possum observantia

Offero, confecro

GABRIEL PAULI

M. DC. XIV.



Προούλιον.



Uo sunt imprimis modi, per quos Respublica, aliàs florentissima convertitur, quandoq; etiam planè evertitur: *DO- LUS & VIS*. De dolo jam nihil. *VIS illa est vel INTERNA vel EXTERNA*. Illa ab ipsis civibus promanat, & dicitur in genere, *BELLUM CIVILE*, vel si mavis propriè magis, *CIVILIS DISSENSIO* cujus miseræ miseræ & miserandæ oculis q. subjiciuntur à *J. Lipsio lib. 6. Polit. c. 1. fol. 204*. Hæc ab hostibus Reip. infertur & simpliciter, vel etiam quandoq; cum adjetione, *EXTERNUM BELLUM*, quod rectius quasi duellum dici existimat *Scaliger lib. 3. Poët. c. 90. pag. 360*. quam quasi minimè bellum. Duorum enim fuit, & si rem exactius computes, etiamnum est. Nam licet multi sint milites. Tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit, inquit, *Scaliger d. 1. Confer Johannem Saresberiensem lib. 8. de Nug. Curial. c. 23. pag. 582*. minus tamen accuratè definitur hoc à *J. Lipsio lib. 5. Polit. c. 3. fol. 146*. *VIS ET ARMA IN PRINCIPEM AUT POPULUM ALIENUM* quod rectè etiam cum *Alberto Gentili de Jure Belli lib. 1. c. 2*. observavit exercitatissimus *Finckius in Exercitationibus Academicis 1 pag. 5*. Sed hoc jam non ago. Magna ergò cum sit belli necessitas, ut prout jam homines sunt vix sibiipsis, nedum aliis, homines (quod vocabulum *HOMO* non ineptè ab *ὁμῶς* deduco cum *Scaligero lib. 7. de caus. lat. ting. c. 28. pag. 68*. quia animal sociale est, vel potius esse debet, ac proinde a' hominum insidiis & pernicie inferenda abstinere) sine illo regna vix diu tuta subsistere possint & florere, imò salus Reip. à stirpe duarum rerum, *ARMORUM* scilicet & *LEGUM* dependeat, ut innuit Imp. Justinianus in pr. proœm. Instit. ac proinde hujus etiam materiæ non inutilis consideratio, sequentes de *BELLO* & hujus velut affinib. attingere placuit *Quæstiones.*

QVÆSTIO I.

An Christianus bona cum conscientia bellum gerere possit?

Negant Anabaptistæ : Affirmamus nos, sed tamen hac cum distinctione : *BELLUM, quod gerendum, est VEL PUBLICUM VEL PRIVATUM. SI PUBLICUM VEL LEGITIME SUSCIPITUR VEL ILLEGITIME. SI LEGITIME* : utique bella gerere etiam homini Christiano est licitum, *TUM SI HOMINIS. TUM SI REIPUBLICÆ* attendamus *conditionem* : *QUO AD HOMINEM*. I. *DEUS* ipse homini bellum gerendum præcipit, *Exod. 17. v. 14. Jos. 1. v. 2. 1. Samuel. 23. v. 4. & 2. Samuel. 5. v. 19.* Et *Johannes Luc. 3. v. 14.* jubet milites stipendiis suis contentos esse & neminem lædere. E. non quævis indifferenter & promiscuè prohibet bella, sed quædam etiam concedit. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit, inquit *ex Augustino in Serm. de puero Centurionis c. Paratus 23. q. 1. in fin.* Imò militavit & David, multisq; bellis interfuit, & tamen à Deo laudatur *c. Noli 23. q. 1.* Unde & *d. c.* hanc ponit *ἰωθελειν* : Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. II. Bellum est juris gentium *l. 5. w. de J. & Jur.* At nec Christianis jura gentium denegare possumus. Imò defensio est juris naturalis, quæ *tum Magistratui, tum omnibus & singulis* competit. *Magistratui*. Quia frustra gladium hic non accepit, sed ut injuriam à suis propulset. *Rom. 13. v. 4. Singulis* : A Deo habemus dextras, ut & nobis ipsis & aliis injuriâ affectis opem feramus, ut scelera è medio tollamus, ut his, quibus vis & damnum affertur, simus portus & refugium, quod inquit *Chrysost. hom. 134. in Psalm tom. 1.* Quod nec ipsæ gentes ignorarunt. Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacunque ope possent à corpore, à capite, à vita sua propulsarent, inquit *Cicero pro Milone*. Paucis : Si non licet, fiet vel qua homines sunt vel qua Christiani. Non qua homines. Aliàs enim omnibus legitima deneganda esset defensio. Absurdum. Non qua Christiani.

Christiani. Nam aliàs professio Christiana ipsam naturam hu-
 manam, & omnia jura, quæ defensionem sui corporis, suorum-
 que in casu necessitatis concedunt, tolleret. Absurdum. *Quo-*
ad REPUBLICAM: I. Societas humana est etiam à
 Christianis conservanda. *Ἀδελον.* Atqui sine bello, & vi armata,
 sæpè conservari non potest. ubiq; enim terrarum inveniuntur,
 hostes, qui hanc naviculam impetunt & oppugnant. II. Ev-
 angelium non tollit Politias, sed potius easdem constituit. Fue-
 re inde usque à primo mundi exordio certæ societates, & post-
 modum etiam Politia & monarchia constitutæ, ut essent do-
 micilium Ecclesie. E. neq; etiam quæ ad Politias conservandas
 faciunt, tollit. Qui enim vult consequens & ille antecedens, qui
 vult finem, & ille media concedat, necessum est. Concludo ergò
 cum *Cicerone i. officior.* suscipienda bella sunt (etiam Christianis,
 quod addo) ut in pace sine injuria vivamus. Pax bello paratur,
 nec eam tueri licet, nisi cives sint ad bellum instructi. *Erasm. in*
Apophtegm. pag. 379. Nec dubium, quin bellum gloriosum pace
 turpi optabilius sit, quod inquit *Demosthenes in Epist. i. Adde Da-*
neum lib. 2. Eth. Christiana c. 13. pag. 186. Casman. in vita Polit. c. 38.
pag. 196. SI ILLEGITIME attendo *vel MAGISTRA-*
TUM vel MILITES. Quoad MAGISTRATUM: In bel-
 lo gravissimæ attendendæ causæ & modus legitimus. *Confer c.*
quid culpatur 23. q. 1. Dan. d. l. pag. 186. Lipsium d. l. 5. polit. c. 4. fol. 148.
 Bellum enim debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessita-
 te, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum ex-
 erceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, quod ait *ex*
Augustino ad Bonifacium d. c. Noli 23. q. 1. At ista hic negliguntur.
 E. contra jus, quod etiam magistratum omninò obligat. E. sic
 non licitum. *Quoad MILITES, Illi vel coacti vel precio condu-*
cti. Si coacti quodammodo excusantur, etiam si illegitimè susce-
 pto bello militent. Vir justus, inquit *ex Augustino lib. 22. contra*
Faustum Manich. c. 24. d. c. quid culpatur, si forte etiam sub rege,
 & homine sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vi-
 ce pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra
 Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut
 fortasse reum faciat regem *iniquitas imperandi,* innocentem au-
 tem militem ostendat *ordo serviendi. Si precio conducti:* Impossibi-
 le est

Ne est istiusmodi bellis bona cum conscientia illos interesse posse. Faciens enim & consentiens eadem poena digni. E & Magistratus si injustè agendo, & contra jus fasq; bella movendo poenas attrahit sibi, & illis æquè subjicientur & exponentur milites, qui consentiunt, & in miseros homines debacchantur & defæviunt. *SI PRIVATUM*: Omnino est prohibitum. Bellum enim iudici aut suscipi legitimè non potest, nisi à summo magistratu *d. c. quid culpatur. fusè Danaus l. 7. polit. c. 3. pag. 393. J. Lipsius d. l. 5. Polit. c. 4. fol. 148. E.* non à privato. Imò. Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè fieri debet, ne occasio sit majoris tumultus. *l. Non est 176. w. de R. J. E.* nec bellum privato. Hinc enim vel maxima majoris tumultus & claudis oritur occasio. *Confer Casmann. d. l. c 36 pag. 189.* Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO II.

An cum bello Clericis ullum possit esse commercium?

Hic duo attendo. Quæritur enim *VEL AN CLERICI BELLUM GERERE POSSINT, VEL AN EIDEM INTERESSE? SI AN GERERE?* Non possunt I. enim: Omne bellum gerendum est à magistratu politico. At Clerici & Magistratus politicus sunt distinctissimi. II. Penes quos non est imperium, nec illi bella suscipere possunt aut gerere. Sine enim jussione aut executione nullum est bellum. At imperio clerici, quâ clerici, carent. III. Propter Ecclesiam defendendam constitutæ sunt à Deo Politicæ & Regna mundana. E. si se defendere poterunt ipsi clerici, & Ecclesia, harum usus erit amplius nullus. IV. Sacris Dei vacare oportet Sacerdotes *l. Non distingvemus 32. §. 4. ff. de Recept. Arbit.* At sic sacris non vacabunt. V. Imò clericorum arma debent esse dolor, fletus, orationes & lacrymæ *c. Non pila & c. conveniet 23. q. 8. E.* non pila ferrea, nec alia munimenta bellica. VI. Paucis: Clerici arma portantes excommunicantur. *c. 2. Ext. de vita & honest. Clericor.* Qui ergò bellum gerent? *Adde c. Audientia 25. & c. contingit 45. Ext.*

Ext. de Sentent. Excommun. Hinc *πορομαλινός infero: E. malè*
Papa, E. malè Episcopi nonnulli, qui bellis innotescere, quam
pietate, causam pugnando quam concionando defendere ma-
luerunt. *SI AN INTERESSE?* Distingvo inter officia &
fines. *VEL enim INTERSUNT, UT PUGNENT, VEL*
UT CONCIONENTUR. SI UT PUGNENT: vix vide-
tur admittere illorum conditio, Deo enim serviunt ipsi. At Deo
simul & mundo servire nemo potest. II. Sacra debent tracta-
re illi nec sese immiscere rebus secularibus. *c. Multa sunt in fin.*
Ext. Ne Clerici vel Monachi. c. Reprehensibile 23. q. 8. At sic sacra
non possunt tractare, sed omnino rebus secularibus sese immi-
scebunt. III. Ipse Apostolus Paulus, *ad Timoth. 3.* requirit, non
ut sit aptus ad pugnandum pastor; sed ut sit aptus ad docen-
dum. IV. Ad quod confirmandum etiam facere videtur ex-
emplum Levitarum, quod est *Deuter. 20. v. 2. & 3.* Illi tubas fe-
rentes ante pugnam, populum confirmabant quidem, sed ipsi
prælio & pugnae non intererant. *SI UT CONCIONEN-*
TUR: tantum abest, ut à bellis abesse Theologi possint, ut vel
maximè interesse debeant. *Idq; TUM RATIONE DOCTRI-*
NÆ TUM CONFIRMATIONIS. DOCTRINÆ: ut
non tantum quotidie, quæ facienda sint, suos admoneant; sed
etiam mores militum aliàs satis depravatos corrigant & emen-
dent. *CONFIRMATIONIS.* Tum ut pugnatos jam, ve-
lut alter Æneas suos dictis mulceant, & spe futuræ victoriæ
confirmant, animosq; stabiliant. Tum ut vulneratis & mori-
bundis præstò sint, læsasq; non rarò conscientias verbo divino
erigant, & spe futuræ vitæ felicioris illa, quæcunq; sunt tandem,
incommoda levent. Quod vitæ genus tantum abest, ut impro-
bandum, ut vel multis nominibus extollendum, nec ipsi Deo
displicere, facile crediderim. Confirmat me exemplum Josuæ,
qui missus à Deo & ipsos sacerdotes tubas ferentes in obsidio-
ne adhibuit, ut est *Josue 6. v. 4. & 9.* Et bellum Abiæ contra Je-
robeam Regem, qui & ipse Sacerdotes secum duxit 2. *Chron.*
c. 13. v. 14. Adde Danæum lib. 7. Polit. c. 5. pag. 517. Et tantum de hac
quæstione.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Militaria arma an tempore pacis in aulis & cæteris locis portanda?

Et hîc distingvo *TUM QUOAD ARMA, TUM QUOAD FINEM. QUOAD ARMA*: Sunt illa *armaturæ vel GRAVIS vel LEVIS. SI GRAVIS*: Tempore pacis gestanda non sunt, imprimis in aulis *TUM UT PRINCEPS* ipse *TUM UT AULICI* cæteri in tuto sint, & extra præsens periculum. *UT PRINCEPS*: Hic enim ut aliàs multorum insidiis est expositus; Sic & à suismet ipsis ministris non rarò sibi metuere debet. Qui metus augebitur indies, si promiscuè arma illa noxia, ut sunt bombardæ &c. in conclavibus circumgerantur, majusq; excitabitur periculum. Ad manus n. quivis habebit, quo ut pro Principe, sic etiam contra eundem uti possit. Nempè furor arma ministrat, nec hominum ferocia aut iracundia novit verecundiam aut leges. *UT AULICI*: Fit enim sæpè, ut inter hosce non tam fribuscula, quàm animorum exacerbationes non rarò etiam mutux concertationes suboriantur. Hic gravius & præsentius damnum ab illis quam hisce pertimescendum est, non tantum ipsis adversariis invicem, sed etiam spectatoribus, qui nihil tale metuentes aut opinantes sæpè vulnerati sunt, sæpè etiam planè trucidati. *SI LEVIS*, adhiberi possunt, imò debent à quibusdam *TUM RATIONE ORDINIS TUM RATIONE DEFENSIONIS. RATIONE ORDINIS*: Est enim hoc inter alia tanquam singulare sive priuilegium, sive ornamentum personis equestribus, & aliis literatis pro conditione studiorum & vitæ, indultum & concessum, ut arma gestare possint. Idq; publica autoritate. Quis ergò privatorum hisce illis exuet? *RATIONE DEFENSIONIS*: Princeps enim aliquo debet esse stipatus præsidio. *Lipsius lib. 4. Polit. c. 7.* Est enim regnum quasi turris quædam excelsa, in qua opes infinitæ reclusæ jacent, ad hanc expugnandam certatim ambitiosi & seditiosi veniunt, hujus custodem omni arte, fraude, malitiâq; tentant. Hisce nisi resistatur, quî tandem imperium firmum consistet ullum? At non potest

potest resisti sine praesidio. *Confer. Casum lib. 3. Polit. c. 11. Qua de
 questione distinctius actum. Ill. Quest. publ. cent. 1. Dec. 7. q. 9.* Hoc
 nonnihil etiam situm in ministrorum robore & consuetâ ar-
 matura. Hæc vult potentissimus ille & literatissimus Angliæ
 Rex, *Jacobus Primus in Regia Institutione lib. 3. pag. 146.* Militaria
 indumenta, inquit ad Filium, nec tibi, nec aulicis tuis ordinariè
 portanda sunt, sed ea solum quæ Nobili & equestri ordinis vi-
 ro digna sunt; qualia sunt ensis, gladius, pugio. Adjecta ratio
 alia. In aula enim gravis armatura perturbationem indicat in
 provincia. Non solum ergo omnia illa offensionis arma parricidarum
 & sicariorum propria, legibus interdicta, uti bombardæ, sclopetæ,
 &c. sed proditoria etiam ista defensionis arma, lorica, thoraces,
 & id genus alia, quæ occultè gestantur, aspectumq; fugiunt,
 longè ab aula exulare oportet. *Hæc Rex Angliæ Jacobus Primus.*
QUOAD FINEM: Gestantur arma **VEL AD OFFENDENDUM VEL AD EXERCENDUM.**
SI AD OFFENDENDUM: Omnibus prohibita, qui & quales illi tandem
 sint, in pace imprimis & Rep. benè constitutâ, ubi omnes cives
 ut unâ concordia, velut animâ devinciuntur, & colligantur: Sic
 & quod vel minimùm offensionis alteri præbere possit, omnibus
 nervis amovendum est, & danda unicè opera, ut Fidei litetur.
 At ista (proditoria arma) ideò solum inventa, sub fidei prætextu,
 ut fidem datam fallant, quod viris probis semper probro esse
 debet, quod ait *d. Rex Angliæ Jacobus Primus d. l. pag. 147.*
SI AD EXERCENDUM: Certum: Civibus etiam tempore pacis
 arma militaria esse tractanda, ut assueti istis, hosti non tergum,
 sed vultum obvertere possint. Est enim Mars ille crudus & cruentus,
 ad quem qui accedunt *πετῶς καὶ ἀβέλως*, raro, nisi fortuito, sine cæde
 & sanguine ad Cæris generum, ut loquitur Poëta, descendunt.
 Interim tamen, & hinc personarum conditio, quæ diversa, tum
 etiam statuta & loci consuetudo, non negligenda. Hæc enim
 diversum sæpè pro diversis casibus svadent. De quibus alibi, Et
 tantum jam de hac quæstione.

B

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

In bello an ullus sit usus stratagematum?

Et hîc distingo: *STRATAGEMATIBUS* seu *OC-*
CULTIS ILLIS CONSILIIIS FIDES data (hanc enim
præsuppono) *VEL FRANGITUR VEL NON FRAN-*
GITUR. SI FRANGITUR: Minimè illa admittenda.
I. enim servanda est fides quæ data. At hîc data. II. Nullæ sic
induciæ, nulla pax unquam constitui posset. Hoc enim prætex-
tu quivis suas promissiones aliter explicare, imò fidem fallere
poterit. At hoc contra jus gentium. III. Privato non concedi-
tur fidem fallere. E. multo minus Magistratui. In privatis enim
paucorum interest contractui suam constare fidem: At in pu-
blicis pactis & conventibus totius Reip. negotium vertitur, & si
quid ibi peccetur, periclitatur. *SI NON FRANGITUR*:
utique concessa illa. Id quod svadent *TUM AUTORITA-*
TES TUM RATIONES. AUTORITATES & SA-
CRÆ & PROPHANÆ. SACRÆ: Num. 13. ubi aperte
docetur, quod exploratores emissi fuerint à populo, ut tanto
melius & cautius hostes incautos opprimerent. Sic & *Josue 8.*
v. 4. expressè quibusdam injungitur, ut ex improvise adsint, &
alios non cogitantes etiam nec timentes opprimant. David
etiam Philistæos à tergo adoriri jubetur 2. Reg. 5. v. 23. *PRO-*
PHANÆ: Virgilij hoc lib. 2. *Æneid.* à multis probatum & ap-
probatum:

—— *dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

nec abnuit *Ulpianus l. 1. §. non fuit 3. ff. de Dolo malo*. Pro quibus ex-
empla etiam quam plurima fecerint, quæ ab Historicis etiam
commendata. Confer *Thucyd. lib. 5. Xenoph. in Hipparch. Plutarch.*
in Marcell. *RATIONES*: I. Hostibus legitimis mediis ob-
viam est eundum & resistendum. At hisce (modo dicto) ut legi-
timis mediis obviam itur hostibus & resistitur. II. Idem & ipsi
hostes sibi licere putant. Imò faciunt. Quidnî ergò & nobis?
Quod quis juris in alium statuerit, eodem ipse utatur. III. Ju-
stum bellum cum suscipitur, utrum aperte pugnet quis aut ex
insidiis nihil ad justitiam interest. c. *Dominus noster 23. q. 1. Confer*
c. *innocens*

innocens 22. q. 4. & c. Noli 23. q. 1. IV. Consilio bono Tuas partes defendere nō est illicitum. At & stratagemata sunt consilia bona. Et quidem Imperatoris bellici. Unde vafrum commentum Imperatoris vocatur *Scaligero lib. 3. Poët. c. 12. pag. 237. astus Imperatorius d. l. 3. c. 17. pag. 251. quamvis* flexuosa sint & occulta, quorum vis propriè in arte solertiâq; posita proficit tam ubi cavendus quàm opprimendus est hostis, quod inquit *Lipsius d. l. 5. Polit. c. 17. fol. 191. Concludam* ergò cum *Danao 7. Polit. c. 6. pag. 535.* certè bonus est dolus hostem incogitantem, cui fidem datam non frangas, opprimere & delere. Quamobrem in bello justo licet, ut non tantum armis & vi apertâ, sed etiam insidiis stratagemate, exploratoribus, quibus hostes fallis, vel in perniciem præcipitas, vel etiam eorum consilia expiscaris. Confer *Lipsum d. l. 5. Polit. c. 17. Casmannum in vita Polit. c. 51. pag. 239. Danaum d. l. Johannem Gerhardi Quæst. Polit. Cent. Decad. 7. q. 5.* Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO V.

In bello an Duces peregrini sint adhibendi?

Et hîc distingvo : Præsuppositis paribus Ducum donis, *VEL ADSUNT DOMESTICI*, qui bello cum fructu præfici possint, *VEL NON ADSUNT. SI ADSUNT:* Nemo credo, tam demens erit, qui domesticis præferendos esse censeat peregrinos. Meliores enim his sunt illi tum *RATIONE gubernationis felicioris, tum Ratione fidelitatis majoris. Ratione gubernationis.* I. Domestici suorum cognitos habent mores ingenia & conditiones. Prout ergò tractandi sunt & ducendi singuli norunt illi melius. At nihil horum sciunt peregrini, ac proinde omnia juxta suum cerebellum disponere volentes suorum odium ergà se longè maximum concitabunt, unde quantum incommodi emergat, vix dici potest. II. Domestici locorum ubi pugnandum conditionem, omnes vias, omnes anfractus perlustrarunt. Quos sine maxima jactura vel nunquam, vel serò peregrini perlustrare, & suam hisce aciem instruendam accommodare poterunt. At omnia ista cognovisse in bellis immane quantum prodest. Unde & se aptissimos esse ad Æneam,

in novam Trojam revocandum apud *Virgilium 9. Æneid.* hisce ostendunt Nifus & Eurialus :

— *nec nos via fallit euntes* —

Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem.

Venatu assiduo, & totum cognovimus amnem.

III. Vel feliciter pugnabunt peregrini vel infeliciter. Si feliciter : invidiam civium & militum vix evadent. Unde odia, unde simultates, unde seditiones non rarò oriuntur longè maximæ. Si infeliciter : Jam longè majus imminebit periculum. Nam etiam, ut modica sit accepta clades, fieri tamen non potest, quin aliqua fiat rerum conversio partim metu hostium, partim contemptione & despectu ullius, qui infeliciter pugnavit, oritur fremitus & indignatio militum, qui & magnis jacturis conciliandi sunt, quod inquit *Philip. Comineus lib. 2. de Reb. Gallicis pag. 371.* At hoc domesticis si eveniat, non usque adeò pertimescendum est. Nobis enim ipsis vix ita succensemus ac aliis. **RATIONE FIDELITATIS :** Domestici pro suis aris & focus, pro uxore, pro liberis, pro fortunis omnibus, pro patria deniq; sua pugnabunt alacrius & animosius, quàm peregrini, qui cum illi proprii nihil habeant, lucrum quærent potius quàm Reip. commodum & utilitatem. Fit enim, nescio qua incuria ut publica, imprimis aliena, minus curemus, propria diligentius. **SI NON ADSUNT :** Quod possumus agendum est, & si Ducibus carere non potest militia, nostra verò patria illos non suppeditat, aliunde petendi sunt illi & accersendi. Necessitas enim non habet legem. Sed tamen quibus illa rei bellicæ administrandæ concessa est ratio, ita certis iucludendi sunt cancellis, & fociis civibus cingendi, ne quid contra Remp. facilè moliri aut suscipere possint. Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO VI.

An ipse Princeps pugna interesse debeat, & in acie stare?

Et hîc distingvo : *VEL DE ipso Imperio deq; rebus maximis maxima agitantur bella, vel de minoribus minora. Si maxima: utiq; interesse debet. I. Principis enim interest scire, quid re-*
rum

rum agatur. At perquam multa perperam aguntur, ubi Princeps ipse non adest. Benè Jupiter sub persona Amphitruonis apud Plaut. in *Amphit. act. 1.* ubi summus Imperator non adest ad exercitum citius, quod non factum est, usus fit, quàm quod factum est opus. II. Melius ipsum in prælio pro patria succumbere Regem, siquidem regnum amittendum, quàm cum summa ignominia & summo cum dedecore amisso regno vivere, non rarò etiam in ipsa regia opprimi, & pessimam in servitute abduci. III. Præsentia sua robur & vires militibus suis quasi inspirabit. Nempe, quod ait *Virgilius 9. Æneid.*

—urget præsentia Turni.

estq; magnum incitamentum animum, cum Dux adest, observatq; cujusq; fortitudinem & ignaviam. *Appianus lib. 2. de Præl. Pharsal.* Testis est *Comineus lib. 1. comm. de Reb. Gallic. pag. 29.* Regis præsentia, inquit, magnum suis attulit momentum, quando militem & præsertim equites ad virtutem cohortabatur. Nam alioqui crediderim omnes fuisse præcipites in fugam abituros. Hæc *Comineus.* Victoria enim non tam militum robore ac fortitudine, quàm autoritate præsentis Ducis constat, quod ait *Cæsar lib. 3. comm. belli Gallici.* Hectorem vide, ille suo adventu milites jam terga hosti obvertentes rursus ad bellum animat & armat. Nempe quod ait *Homerus Iliad. 6. v. 45. & seq.* Ο τριῶν μάχασαοθι, ἔλαρε φύλοπιν αἰνήν. οἶδ', ἐλελίχθησαν. καὶ ἐναντίοι ἔσαν ἀχαιῶν δ' ἄρχεῖοι δὲ ὑπεχώρησαν, λήξαν δ' ἐφόνοιο. Sic & de Sylla Dictatore refert *Ammianus Mar. lib. 16. hist.* quod ad acrius pugnandum milites contra Archelaum Mithridatis ducem instigarit. IV. Princeps est anima exercitus, usq; adeò, ut præstet habere ducem leonem & cervos milites, quam ducem, cervum & leones milites. V. Nec desunt exempla tum nostri tum superioris seculi. Bellis interfuit Xerxes, interfuit Cræsus, interfuit Darius, interfuit Alexander, interfuit Carolus Imp. interfuit Mauritius Elector ille Saxonix laudatissimus. Quam ad sententiam & illud facit, quod habet *Comineus d. lib. 1. com. de Reb. Gallic. pag. 29.* Sed hoc est imprimis memorabile, inquit, quod Principes ambo (Ludovicus XI. Rex Gall. & Carolus Burgundix Dux) non excefferunt è campo. Imò & in sacris legitimis Historiis ipsos Reges vel maximè bellis non tantum præ-

fuisse, sed & interfuisse, ut illum, qui vel primoribus saltem labris illas degustavit, latere non potest. Hic audiant milites à suo, quod illi à Mario *apud Salustium*. Egomet in agmine atque in prælio consultor idem & socius periculi vobiscum adero me vosq; in omnibus rebus juxta geram. Vel illam mali hominis, Catilinæ, bonam vocem: vel imperatore vel milite me utimini, neq; animus neq; corpus à vobis aberit. *SI MINORA*: Non debet. I. enim vel vincit vel vincitur. Si vincit: jam laudem reportabit exiguam, vel potius nullam, ut qui ejusmodi rebus minutulis se immiscere non erubuerit, & quasi majora domi, quæ agat, non sint, ad exilia illa & exigua se abicere. Si vincitur: jam omnem & majestatem & dignitatem amittet, ut qui tam infelix sit, vel potius impotens, qui ejusmodi etiam hosti minimo resistere non possit. II. Si capiatur & in hostium potestatem deveniat, jam vel ingenti pecuniæ summa liberandus: Vel carceri includendus, vel miserrimè aliàs trucidandus, vel denique pax iniquissimis etiam conditionibus cum hoste in eunda. Quæ omnia magnum imperio afferunt cladem, quandoq; etiam præsentissimam inferunt *πανολεθειαν*. Ab Imperatore certè tanquam à capite dependent omnia. Jam capite læso quanta in totum corpus redündent mala nemo nescit. E. ejusmodi bello Princeps temerè sese immiscere non debet. *Adde Lipsium d. l. 5. Polit. c. 14 fol. 177.* Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO VII.

An à Principe proditores alendi & adhibendi? Seu in bellis an proditio admittenda?

Et hinc distingvo: *Adhibebuntur proditores illi, vel CONTRA HOSTES pro patria vel contra cives & patriam. Si contra hostes: utique adhibere illos licet.* I. enim hinc fides data non læditur. Nam hoc præsupponimus. II. Hinc potius ipsi Duces & milites redduntur circumspectiores, ut siquidem insperatò opprimi nolint, omnia sua secretò custodiant, non cuivis sua consilia communicent, sed quovis tempore diligentissimè res procu-

procurent suas, interim etiam intenti in hostium consilia, quibus, si sciant, facile obviam ire possint. Nam *Tela nocent pravi-*
sa minus

III. ——— *dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Quò non licet leonina pelle pervenire ibi assumenda est vulpina, imprimis, erga hostem, quem fallere, imò siquidem aliter ad mentem saniozem pertrahi non possit funditus evertere, non solum justum, sed etiam svave & fructuosum est. Unde *Augustinus in 6. libr. Quest. 9. 10. sup. Josuam quod allegat c. Dominus noster 23. q. 2.* cum justum, inquit, bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest: vide *J. Lipsium d. l. 5. Polit. c. 17.* IV. Imò ipse populus Dei Rahabæ meretricis operam non recusat, sed eadem usus incolas omnes tandem profligat, ut est *Jos. 6. c.* Quidnî ergò & nostris licebit? Bonorum enim bona actio, nostra debet esse instructio. *SI CONTRA CIVES & patriam:* nihil minus licet, quàm illos hosti prodere. *Civis enim ille, qui proditurus est patriam, vel in patria etiamnum degit, vel sub hoste stipendia meretur.* Neutro modo locum inveniet proditio. *Non si in patria degit.* I. Juramento illi est obstrictus. At juramentum frangere fidemq; fallere, longè pessimum. II. Membrum est ipse patriæ & civitatis. At membrum quodlibet pro virili totum corpus defendere, adjuvare & sustentare debet, non infringere, deprimere, & funditus tollere. III. Fieri vix potest, ut læsa vel sublata patria, bona ipsius & fortunæ salvæ sint & incolumes, vel parentes liberi & propinqui damnum nullum sentiant. IV. Gravissimis & exquisitissimis tormentis illi proditores subjecti sunt sæpè, etiam patrum & nostra, memoria. Dignissimi enim illi, ut quæ in patriam tentarunt, ipsimet experiantur. Unde non malè *M. Cato apud Salustium in Conjuratione Catilinæ pag. 59.* contra patriæ proditores & confœderatores sic tandem concludit: *Quare ego ita censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium Resp. in maxima pericula venerit, iiq; indicio Vulturii & legatorum, Allobrogum convicti confessiq; sint cædem, incendia, aliaq; se fœda atq; crudelia facinora in cives, patriamq; paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum.* Hinc & *Daneus 7. Polit. c. 6. pag. 527.*

Prodere

Prodere, inquit, hostibus civitatem, in qua est, aut partes, quas tuetur, & quibus stat, & eas hostibus exponere, nemo pius, mea quidem sententia debet aut bona conscientia. *SI SUB HOSTE stipendia meretur*: Nihilominus tamen obligatus est patriæ *JURE tum Naturali tum civitatis*. *Naturali*: Hoc enim omnes ad patriam amandam & defendendam astringit. Confer *Ciceronem 2. de LL. & 4. de Fin.* usq; adeò ut non possit cuiquam malè de Rep. merendi justa esse causa, quod ait *Cicero de Respons. Arusp.* At jus naturale est & esse debet immutabile. E. ne tùm quidem, licet hostium partes sequatur, ad proditionem patriæ induci debet. *CIVITATIS* verò: Hoc enim æquè omnes ad Remp. amandam & protegendam obligat. E. si quis datam fidem & hic fallere noluerit, is à proditione patriæ & suæ, cujus civis est, Reip. omninò abstinere debet. *Paucis*: Proditio quandoq; admitti potest pro conditione loci, temporis, & aliarum circumstantiarum, quæ & hîc actionem variant. Sed proditores ulli an laudandi & amandi dubitant. *Philippus teste Stobæo Serm. 3.* amare se prodituros non proditores aiebat. *Augustus, ut refert Plutarchus in Apoph.* proditionem se amare proditores non approbare dicebat, Nos videbimus, Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO VIII.

Monomachia an concedenda?

Et hîc distingvo: *Monomachia suscipienda & instituenda vel adversus hostem vel socium*. *SI ADVERSUS hostem*: Nihil video causæ, cur non admittenda. Si enim multis licet contra multos pugnare, quidnî & uni licebit contra unum? modo Ducis autoritas & consensus accedat. Hic enim omnino requiritur. *Bodinus 4. Polit. c. 7. n. 475.* Hinc & ipsos duces ut fuorum sanguini parcerent singulari certamine de summa rerum decrevisse legimus. Sic *Carolus Rex Neapolis Petrum Arragoniæ Regem singulari pugna provocavit*. Sic & *Æneas ad suos lib. 12. Æneid.*

*O cohibete iras ictum jam fœdus, & omnes
Compositæ leges, mihi jus concurrere soli*

Me

Me finite, atq; auferte metus, ego fœdera faxo

Summa manu, Turnum jam debent hæc mihi sacra.

quem & postmodum singulari monomachia vicit & interemit.
Si ADVERSUS SOCIUM inter socios, qui quavis etiam de causa sibi invicem infensi, *vel concessa est à Principe, vel non concessa.* Neutro modo licita aut probanda. *Non si concessa à Principe:* quicquid tandem & hîc statuatur *Bodinus d. lib. 4. Polit. c. 7. n. 476.* qui sic inquit: Illud à. in causæ cognitione potissimû versatur, ne duello controversiã ullam, nisi quæ capitalis fuerit, & cujus perspicua probatio extorqueri nõ possit, dirimere liceat, iisq; legib. & conditionibus, ut cui arma erepta fuerint, eidẽ vita eripiatur, ac infamiæ sempiterna labes inuratur, quæ pœnarum acerbitas, & infamiæ metus plerosq; tum à duello, tum etiã ab injuriosa facinorosaq; vita prohiberet. *Hæc Bodinus.* Ratio pro nostra sententiã est. I. Jus humanû supra jus divinum dispensare, aut aliquid contra illud concedere aut permittere nec potest nec debet. At omnibus dictum in jure divino: Non occides. E. supra vel contra illud Princeps dispensare non potest nec debet. II. Medio ordinario presente ad extraordinarium & quidem illegitimum non est prouendum. At hîc in promptu sunt alia media litium, componendarum, nempe legitimus juris processus. E. ad istam violentiam non est descendendum aut deveniendum. III. Qui occiditur, vel meruit vel non. Si meruit: cur non legitimè à magistratu plectitur? Si non meruit: cur innocens indigna & injuriosa morte plectitur? IV. Unde & Jure Canonico rectissimè improbat *c. Monomachiam 2. q. 4.* Ex quib. falsitas assertionis Bodiniane apparet. Nam I. causam requirit capitalem. Cur non v. potius illam Magistratui vindicandam permittimus? II. In qua perspicua probatio extorqueri non possit. Et hoc malè. Quid n. si innocens uterque? uter cadet, pessimè cadet, & Principis conscientie vix satis cautum erit. Imò in dubio in benigniorẽ potius quàm in atrociorẽ propendere debemus & declinare sententiam. At hîc dubia omnia, cum perspicua probatio extorqueri non possit. Præstat ergò nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare. III. Et illæ conditiones, quas adjicit, admodum duræ. I. Cui arma erepta & illi vita eripiatur. II. Perpetua infamiæ labes inuratur. Quid n. si innocenti arma eripiantur? numquid vita illi eripienda? Numquid perpetua infamiæ

famiae labe notandus? Pessimè sanè hæc omnia. E. detur unum: Vel semper nocens cadet, vel illa innocente cadente locum non habebunt. Atqui non semper nocens cadit. Potest n. & in duello superare adversarium, qui re ipsa coram Deo reus est *d. c. Monomachiam 2. q. 4. IV.* Taceo quod hæc litium componendarum ratio sit potius novarum excitatio & adauctio. Hinc n. ipsæ familiæ mutuis inter sese inimicitis & discordiis irritabuntur, dum pars læsa ultionem & vindictam quotidie meditabitur, ut ad conciliandos animos novo opus futurum sit Hercule. At lites sopire & tollere convenit Principi, non exuscitare & excitare majores. *Si non decreto Principis concessa*, multo minus privato ausu tentanda est. I. enim privata est vindicta. At à privata vindicta omnes abstinere debent. II. Privatis in privatos arma non sumenda. At hinc sumuntur. III. Nocentes innocentes sic facilimè opprimere poterunt & suppressere. At hoc nequissimum. IV. Reipublicæ interest, ne cives damnum patiantur & injuriam impunè. At hinc patiuntur. V. Nemo est membrorum suorum dominus. E. ne volens quidem & sciens hanc provocandi, vel etiam ad provocationem apparendi, licentiam arripere quisquam debet. VI. Hinc in bene constitutis Rebusp. qui alium occidit æquè ac alius quispiam homicida capite plectitur. Quod fieri non posset, si legibus ullis concessa. Quod n. lege permittente fit, rectè fit, & poenam non meretur. *Confer Daneum 2. Eth. Christian. c. 13. pag. 192.* Et tantum de hac quaestione.

QVÆSTIO IX.

An boni sit viri parti alteri se admiscere, vel potius in bello quiescere?

Et hinc distingvo: *Civis ille bonus*, de quo est quaestio, *vel ad clavum Reip. sedet, est q̄ PERSONA publica, vel domesticos intra parietes delitescit, est q̄ persona privata. SI PERSONA est publica: attendenda est partium causa. Illa vel JUSTA est vel INJUSTA. SI JUSTA: utiq; illam sequi debet & pro viribus fovere, contrariam, quantum potest, reprimere. I. enim si tranquillis temporib. ad clavum sedit, qui tandem eundem poterit abjicere turbatis? Mali hoc est naucleri, quando Castor & Pollux prævii sunt, navis dirigendæ clavum accipere, sed si nimbi ingruant & tempestates eundem abjicere, & sese ad sentinam.*

pro-

proripere. Sic regere Rempub. si pax vigeat, & belli sint clausæ
 portæ, sed si jam Mars intonet, tum demum, ubi vel maximè
 Resp. implorat opem, fugere, & sibi post principia cavere, id
 non dicam, stultum est, sed nefarium. II. Tum vel maximè Resp.
 indiget auxilio. Nam cætera maleficia, quod optimè inquit M.
 Cato *apud Salustium in Conjurat. Catilinæ pag. 55.* tum persequare
 ubi facta sunt, hoc nisi prævideris, ne accidat, ubi evenerit, ju-
 dicia frustra implores. Capta urbe nihil fit reliqui victis. Hoc
 consilio & Cicero, & Cato, & cæteri Catilinam, Cethegum,
 aliosq; conjuratos animo fortissimo repulere & suppressere,
 imprimis, quia ista conjuratio contra patriam esset suscepta, &
 ad opprimendam libertatem, ad bonorum omnium perniciem
 fortunarumq; & opum direptionem unieè directæ, ut ipse *Cice-
 ro suis in Orationibus contra Catilinam* fusissimè ostendit. *Adde
 Salustium de Conjuratone Catilin. SI INJUSTA:* tum nemo
 hominum facile affirmavit parti improborum adhaerendū esse
 aut favendum. I. enim omnium cogitata ad salutem Reip. non
 ad perniciem referenda. At sic ad salutem Reip. non referentur.
 II. Ab improbis improborum hominum consiliis sic necessum
 esset dependere semper Magistratum. At & hoc nihil stolidius.
 III. Si partes sequendę semper potiores & potētiores, jam nemo
 amplius malis resistere poterit. Semper n. malorum copia ma-
 jor quàm bonorum. At neque hoc ex usu Reip. Resistendum,
 enim quam potest fortissimè malis. Næ, inquit M. Cato *apud
 Salustium in d. Conjuratone Catilinæ*, Ista vobis mansuetudo &
 misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convertetur.
 Quod omnibus, qui in magistratu publico sunt constituti ejus-
 modi in turbis dictum esto. Si PERSONA PRIVATA nihil jam vi-
 deo causæ, cur nunc demum istis turbis sese immiscere velit, &
 sic capiti attrahere periculum. Quis n. probet illum, qui tran-
 quillo mari suum ad focum si assederit, postmodum eodem à
 ventis jactato & perturbato accurrat, seq; non vocatus rei ad se
 nihil pertinenti ingerat: sic civem quis probet illum, qui tumul-
 tui civium se committat procelloso, cum antea rebus tranquil-
 lis omnibus nihil tale cogitarit aut tentarit? *Adde Bodin. d. l. 4.
 Polit. c. 7. J. Lipsium d. lit. 6. Polit. c. 6.* Et tantum de hac quæstione.

QVÆSTIO X.

*Propter fines Imperij seu territorij ampliandos duntaxat
 an gerendum bellum?*

Hic

Hic non distingvo, sed simpliciter nego persuasus I. Si propter solos imperii fines ampliandos gerendum est bellum, utiq; à quovis suscipi illud & geri poterit Absurdum. A solo n. magistratu legitimo suscipiendum illud & gerendum II. Tantum propter injuriam illatam vindicandam, & nostra, quæ ablata reperendum, adinventum est bellum. At horum hic neutrum. III. Juris naturalis præcepta sunt hæc: *Honestè vivere, NEMINEM LÆDERE, SUUM CUIQUE TRIBUERE.* At hic læduntur vicini vel maximè, neq; quod ipsorum est, illis tribuitur. E. contra jus naturale hic etiam peccatur IV. Quin sic agamus: Illaturi aliis bellum non necessarium, futurum est, vel ut vincamus, vel ut vincamur. Si vincimus. I. Licet subjugati, tamen animum gerent hostilem, & prima quavis occasione ad hostes deficient, seq; nostraq; in præsentissimum deducturi periculum. II. Perpetuo in metu nobis vivendum Nam & victis non raro

— *redit in præcordia virtus.*

III. Cum Gomico ex *Adelph. act. 1. Scen. 1.* illud usurpem:

errat longè mea quidem sententia,

Qui imperium credit grævius esse aut stabilius

Vi quid sit, quam illud quod amicitia adjungitur.

Si vincimur: Jam actum nobiscum, perimus funditus. Nulla nos digni commiseratione, nulla venia Non malè ad Cræsum jam cõtra Persas bellum parantem Sandanis Lydus apud Herodotum lib. 1. f. 14. Adversus tales viros expeditionem paras ô Rex, inquit, qui coriacea subligacula, qui è corio reliquam vestem ferunt, qui non quib. volunt, cibis vescuntur, sed quos habent utpote regionem asperam incolentes. Adhæc potu non vini utuntur sed aquæ, non ficos ad comedendum, nec aliud quicquam boni habentes, *Quib. cum nihil sit, quod eripies. si viceris, sin victus fueris, animadvertite, quod bona amittes.* Cui consilio si obtemperasset Cræsus, jam in Cyri manus nunquam pervenisset, neq; miserrima illa exclamatione in rogo, ô Solon, Solon indignisset, ut est apud eund Herodotum d. 1. Nec malè olim Princeps Tartarorum captum Regem Rutenorum non necessarium bellum moventem interficiens, ex ipsius calvaria poculum inauratum fieri jubens, hæc verba inscripsit: *Hic appetendo aliena, amisit propria.* Parem fortunam expertus est Jugurtha Rex Numidarum, qui parte sui regni si contentus fuisset, optima in pace & immortalis gloria vivere potuisset, sed fratrem utrumq; cõtra fas omne trucidans, regnumq; ad se rapiens, digna etiam post morte occubuit, ut est apud Salustium in bello Jugurthino. Sic nempe natura mortalium est avida imperii & præceps ad explendam animi libidinem, ut jam tum apud Salustium d. 1. secum reputabat animo Micipsa Rex Numidarum. Rectissime ergo Aurelianus Imp. ad tribunum militum perscripsit: Si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine, nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, annona sua contentus sit, de præda hostis, non de lacrymis provincialium habeat. Et hoc dictum esto Principibus majore cum pondere, qui regna & ditiones ampliores occupare maximè satagunt. Confer Lipsium d. 1. 5. Polit.

c. 3. *Casum lib. 1. Polit. c. 5.* Et tantum de hac questione.

F I N I S.

00 A 6440


ULB Halle 3
002 937 344



VD17

Reho ✓







Farbkarte #13

B.I.G.

RIA
 LITICARUM
 TERIA
 LO EX-
 RUM,
 te Triade
 MA ET FLO-
 EMIA SALANA,
 NTE
 Excellentissimo
 SAGITTARIO
 Publico, Præce-
 honorando
 opugnabit
 WISMARIENSIS
 TANUS
 arij in Auditorio
 ri.
 N Æ
 I Rauchmauls/
 o
 XIV.

